



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliarvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno MCXVIII. ad annum MCLXXIX.

Parisiis, 1644

V. Vsurae ante interdictum vel post perceptae, sunt soluendae.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15588

CAP. IV. *Idem Vigilensi episcopo.*

Debitores autem ad soluendas vsuras, in quibus se obligauerant, cogi non debent, nisi eas iuramento soluere teneantur. Si vero de ipsarum solutione iuramentum fecerint, cogendi sunt Domino reddere iuramentum, vt a creditoribus absoluantur: & cum vsuræ solutæ fuerint, creditores ad eas restituendas ecclesiastica, si necesse fuerit, cogendi sunt seueritate.

CAP. V. *Idem Salernitano episcopo.*

Cum sicut tu asseris, manifestos vsurarios, scilicet qui in illo decesserunt peccato, communionem altaris & ecclesiastica, iuxta decretum nostrum nuper in Concilio promulgatum, præceperis sepultura priuandos, donec reddant quæ tam prauè receperint: quidam eorum dicunt ad soluendas perceptas vsuras, proprias non sufficere facultates: alii vero promittunt se partes vsurarum quas habent præ manibus, reddituros: sed alias quas extorserunt vsuras, cum de his possessiones comparatæ sint, & eorum filiis vel parentibus traditæ, se non posse reddere profitentur. Alii vero ad excusandas excusationes in peccatis, impudenter affirmant, illas dumtaxat vsuras restituendas, quæ sunt post interdictum nostrum receptæ, nec aliquos ad soluendas vsuras, quas ante interdictum receperant, debere compelli. Super his discretioni tuæ respondemus, quod siue ante, siue post interdictum nostrum vsuras receperint, cogendi sunt sub pœna quam statuimus in Concilio, eas his, a quibus extorserint, vel eorum heredibus restituere: vel his non superstitibus, pauperibus erogare, dummodo in facultatibus habeant, vnde ipsas restituere possint, cum iuxta verbum beati Augustini, non remittatur peccatum, nisi restituatur ablatum. Illi autem qui non habent in facultatibus, de quibus vsuras valeant restituere, non debent pœna illa mulctari, cum eos nota paupertas excuset. Possessiones vero quæ de vsuris comparatæ sunt, vendi debent, & ipsa precia his a quibus vsuræ extortæ sunt, restitui, vt sic non solum a pœna ista, sed etiam a peccato, quod per vsurarum extorsiones incurrerunt, possint liberari.

Pfal. 140.

Restitutio
vsurarum.ANNO
CHRISTI
1179.ANNO
CHRISTI
1179.